



**M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 1. Historia de Pindaro poëta, multato à suis, ornato ab Atheniensibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

M. ANTONII MVRETI

87

AD HIPPOLYTVM ESTENSEM,

S. R. E. CARDINALEM

ILLVSTRISSIMVM,

VARIARVM LECTIÖNVM

LIBER QUARTVS.

*Historia de Pindaro poëta, multato à suis, ornato ab  
Atheniensibus.*

CAPVT I.

**P**AUSANIA SIN Atticis narrat, Athie-  
nienses, quod à Pindaro in quodam  
asmate laudati essent, tati fecisse am-  
pli illius ac grandilo qui poëtæ testi-  
monium, ut & dona ei plurima ob id  
miserint, & statuam in ciuitate sua  
statuerint. Non igitur mirum est, si illis temporibus  
multi ac præstantes poëte fuerunt; cum quia ea faculta-  
te excellebant, & maximis munericibus honestarentur,  
& honoribus amplissimis mactarentur. ætate nostræ  
vocalis ille olim Musarum chorus conticuit; quæque  
auaritia marsupia potentium clusit, eadem venas He-  
liconij liquoris obstruxit. Sed quod de Pindaro per-  
stringit Pausanias, id fuisus edidisset in quadam épi-  
stola Æschines. Ait enim illum, cum Atheniensium  
vrbem commendasset his verbis, αἴτε λιπαρὸν καὶ σοδαῖον  
Ἐπάδε Θέτιον Αθαναῖ, multatum esse à ciubus suis,  
agrè ferentibus, alienis eum potius, quam suis, illam  
tantam laudem dedisse. quod vbi resciuere Athenien-  
ses confessim miserunt ei duplum eius pecuniae, quam  
multæ nomine erat exactus: ipsumque ænea statua or-  
narunt:

F 4

narunt:

Anno Murensis  
varia Lectio  
LIII  
25

narunt, ea statua visebatur Æschinis ætate ante regiam porticum: sedens Pingarus cum pallio, & diadema, lyram tenens: & supra genua apertum librum.

*Quod Aristoteles sensit de iis qui seipso interficerent,  
Euripidis testimonio confirmatum.*

C A P V T I .

**C**V M vulgò crederetur, viri fortis esse, mortem sibi consicere potius, quam graue aliquod & acerbum malum perpeti: sapienter animaduertit Aristoteles, falsam esse illam hominum opinionem: eoque qui ita facerent, non modò fortes, sed ignavi, paruique & abiecti animi habendos pronuntiauit. docent enim, se id quod fugiunt, ferre non posse, neque pares esse ei casui sustinendo, propter quem vitam relinquunt. id autem effeminatam potius animi mollietiam, quam magnitudinem arguit. Disputauit eadem de re doctissime ac sapientissime diuus Aurelius Augustinus lib. 1. De Ciuitate Dei, multisque rationibus ostendit, Lucretiam, Catonem, ceterosque eiusmodi, frustra in historiis à fortitudine laudari. longius etiam progressus, demonstrauit nullam esse posse bono ac sapienti viro ξαρχι, vt Stoici loquebantur, εὐλογη. Sed & Euripides id antè docuerat: qui Herculem primò facit succumbentē magnitudini eius doloris quem hauriebat ē cæde vxoris & liberūm, quam ipsem, furore diuinitùs immisso correptus, perpetrauerat: & ob id ē vita discedere meditantem: deinde redeuntem ad se, & mutantem consilium, verentem, ne id sibi ignaviae ascriberetur, si lucem relinqueret, tanquam agitudini impar ferendae. Aristoteles ita hac de re scribit, lib. 111. μεμαχέων Τὸ δὲ ποθητόν, φῶντα αὐλαν, οὐ ἔρωτα, οὐ τὴ λυπήσεων, οὐ ἀνθρείς, ἀλλὰ μᾶλλον δεινῶν μαλακά